

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XXVIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Quae scripsisti] Quae exprobrasti.

Liberi sunt] Catilinae coniuratione patefacta atque oppressa.

Tibi liberum non visum] Negas

enim me audere, quod sentiam, libere dicere.

Detulisti] De C. Antonii consulis tui consiliis.

Quid mihi populus Romanus debeat] A me servatus.

EPISTOLAE XXVIII.

A R G V M E N T V M.

Probat consilium Curii, qui, republica desperata, in Graeciam se contulerit: et adiungit, se totum, postea quam libertatem amissam viderit, litteris et scriptioni tradidisse. Scripta Caesare dominante anno tamen incerto.

EXPLANATIO.

Curio] Hic est ille Curius, qui nominatur lib. 13. epist. 17. et 50. et lib. 16. epist. 4. 5. 9. 14. et ad Attic. lib. 7. epist. 2. 3. et lib. 8. epist. 5. 6.

Memini, cum ERN. quod mihi desipere videbare] Cum in vndecim scriptis libris videam esse, quod, non cum, ut est in impressis; testimonium antiquitatis contemnendum non putavi; et quod reposui, deleui cum. Porro, quia mutationis fortasse causam attulit inscientia Latinae linguae; cum inusitatum videretur, memini, quod videbare: non patiar hunc loquendi modum posthac, quasi barbarum et sordidum, reici; et afferam illa, quae tum apud ipsum Cicero-nem, tum apud alios, Romani sermonis observatione, collegi. ac primum a nostro Cicerone ordiamur. Lib. 13. epist. 40. Si villa mea apud te commendatio valuit; quod scio multas plurimum valuisse; haec ut valeat, rogo. Et lib. 9. ad Attic. epist. ult. Aliquando sententiam, ut nihil novi, nisi id, quod minimum vellem spiritum

reliquum esse Lib. 10. ad eundem epist. 4. Cum scripsisset, quod me cuperet ad urbem venire. Lib. 1. de Leg. c. 11. Quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatam inter se esse intelligatur, illud extricatum est, quod recte vivendi ratio meliores efficit. Lib. 1. de Offic. c. 12. Equidem illud etiam animaduerto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur. Lib. 2. c. 20. Videndum illud est, quod si opulentum, fortunatumque defenderis, in illo vno, aut forte in liberis eius manet gratia. Et Coelius lib. 8. epist. 6. Illud mihi occurrit, quod, inter postulationem et nominis delationem, vxor a Dolabella discessit. Praeterea Varro lib. 1. de re rust. c. 7. Cato, gr. id. rim. praeponens, alium alio agrum meliorem dicit esse: et quod sit primus, ubi vineae possunt esse bono vino, et multo; secundus, ubi hortus irriguus. Et lib. 2. c. 10. Facile est, quod habeant conseruati in villa. Liuius autem lib. 42. c. 33. P. L. ci-nius consul senatus consultum recitari iussit. Primum, quod bellum

senatus Perseo iussisset: deinde, quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset. Idem lib. 45. c. 41. Quamquam et quam feliciter rempublicam administrauerim, et quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror. Suetonius in Tito c. 8. Recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset. Omnium autem antiquissimi, Plautus, et Cato Censorius, ille in Afin. Aët. 1. Sc. 1. v. 70. inquit:

Equidem scio iam, filius quod amet meus.

Et in Trin. Aët. 2. Sc. 4.

Minus quindecim dies sunt, quod pro hisce acedibus

Minas quadraginta accepisti a Callicle.

Cato autem in epistola ad Marcum filium, quam Plinius lib. 29. c. 1. recitat: *Dicam, inquit, de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit, eorum litteras inspicere, non perdiscere.*

Cum istis] Cum Graecis. Patris enim Curius negotiabatur: vt infra, et lib. 13. epist. 17. et alibi.

Cum quidem haec vrbs] Τρεῖς πόλις, ex indignatione orta et dolore libertatis amissae. nam ciuitas quidem, corruptis moribus, et statu reipublicae mutato, desinit esse, quae fuit: vrbs tamen eadem remanet. Hinc apparet, ipsa de ciuitate quid Cicero sentiat: cum in urbem quoque, sensu carentem, invehatur.

Nedum Patrae] Nisi vis, quae latet in singulis verbis, perfecte cognoscatur, tota profecto frigebit

elocutio. quare, si nonnulla, quae videri possunt humiliora, prosequimur, aequus lector ignoscere debet. *Nedum*, hanc vim habet, vt neget semper, numquam affirmet. non enim dixeris: *diligo familiares omnes tuos, nedum te*: quod esset affirmantis. nam hoc diceretur: non solum te, sed familiares etiam tuos omnes diligo. Proprie vero sic: *is ne propinquos quidem suos amat, nedum te*. Huc spectant omnia Ciceronis exempla: quorum duo tantum, praeter hoc ad Curium, quod satis patet, afferemus. Orat. 2. in Rullum c. 35. Singularis homo, priuatus, nisi magna sapientia praeditus, vix facile sese regionibus officit, magnis in fortunis et copiis, continet: *nedum isti, ab Rullo et Rulli similibus conquisiti atque electi coloni, Capuae, in domicilio superbiae, atque in sedibus luxuriae collocari, non statim conquisituri sint aliquid sceleris et flagitii*. Pro domo c. 54. *Tamen in scelere religio non valeat; nedum valeat id, quod etc.* Audiamus Terentium in Heaut. Aët. 3. Sc. 1. v. 43.

— *Satrapes si fiet*

Amator, numquam sufferre eius sumtus queat,

Nedum tu possis. —

Nec aliter Sallustius in bell. Cat. c. 11. *Secundae res sapientium animos fatigant: nedum illi, corruptis moribus, victoriae temperarent. Vnum videtur opponi posse Ciceronis exemplum lib. 10. ad Attic. epist. 16. Tu, quoniam quartana cares, et nedum morbum remouisti, sed etiam grauedinem, te vegetum nobis in Graecia fiste.* Sed hic locus aliter legitur in antiquis libris: itaque,

itaque, si quis eius vtatur testimonio, parum probabit. Legitur autem hoc modo: *Tu, quoniam quartana cures, et nonnum morbum remouisti. Quod ipsum carere mendo, non equidem asirmarim: sed id, quod nunc agitur, asfirmo, nedum, in vilo non vidisse me vere libro.*

Vidisse meliorem] Si consilio haec potius, quam casu, reliquisti. Vide in extrema epistola, et epist. 30.

Prope desperatis his rebus] Appropinquante se ciuili bello.

Sapienter] Propter consilium. non enim redire vis.

Beatus] Qui multis rebus, quibus nos caremus, tranquillo animo fruire.

Cui licebat] Tibi licebat hinc abire: nobis idem non licet.

Vbi nec Pelopidarum] Pelopidas vocat malos ciues, qui rempublicam armis opprefferant. Subiungit autem, *nosti cetera*: quia non est integer poetae locus. verba omnia ponuntur epist. 30. *Quin*, inquit, *hinc ipse euolare cupio, et aliquo peruenire, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.* et lib. 15. ad Attic. epist. 11. *Et si ne amica quidem dubitauit, tamen nunc eo minus, euolare hinc, idque quamprimum; vbi nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.* Nec dubito, quin huc respexerit, cum dixit Phil. 13. c. 21. *Moueri sedibus suis huic vbi melius est, atque alias, si fieri possit, terras demigrare, vnde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quam illos, Caesaris virtute electos, Bruti retentos, intra haec moenia videre.*

Idem consequimur] Abdo enim me in bibliothecam; ne Pelopidarum

nomen, aut facta audiam.

Salutationi amicorum] Salutandis amicis, mane videlicet: nam lib. 9. epist. 20. *Haec est nunc vita nostra. Mane salutamus domi et bonos viros multos, sed tristes, et hos lantos victores: qui me quidem perofficiose et peramanter observant. Vbi salutatio defuxit, litteris me inuoluo, aut scribo, aut lego.*

Quasi auem albam] Quasi novum quiddam. prouerbum ex eo natum, quia rarac aues albae.

Abdome in bibliothecam] Litteris me inuoluo, dixit lib. 9. epist. 20.

Opera efficio tanta] Ne quis ex hoc loco putet, scripta alicuius quae dicuntur, eadem opera dici posse. nam, *opus* generale nomen est earum rerum, quae post operam et industriam remanent. lib. 16. epist. 18. *An pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat.* Et lib. 2. ad Attic. epist. 4. *Curabo, ut huius peregrinationis aliquod tibi opus exstet.*

Senties] Iudicabis.

Ex meis libris] Cum diceret, non cum me esse, qui videret in meis libris.

Tum] Ante bellum ciuile, sed republica iam desperata.

Non solum suis erga me, sed etiam meis erga se] Alii, hunc locum esse mancum in omnibus, quos ipsi viderint, paullo antiquioribus libris, asfirmarunt. nos integrum videmus esse in omnibus, quos habemus.

Dies] Lib. 4. epist. 5. *Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat.* et lib. 5. epist. 16. *Quod allatura est ipsa*